

iudex Nicolaus de Venusio

71

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

iudex Nicolaus de Venusio

71

1490-02-03

† In nomine Domini nostri Iesu Christi amen.
Anno a nativitate eiusdem millesimo quatricentesimo nonagesimo. Regnante... Ferdinando Dei gratia Sicilie, Ierusalem et Hungarie rege, regnorum... eius anno tricesimosecundo,... mense Februarii, die tertio eiusdem, octave indictione, Mathere.

Nos Nicolaus Venusius de dicta civitate,... ad contractus per totum dictum regnum Sicilie citra farum regia auctoritate iudex, Dionisius Gasparis de Tanciis de eadem civitate,... puplicus ubilibet per totum predictum regnum... regia auctoritate notarius, dompnus Barnaba Blasii de Leone, Petrus Andreas de Tremamundo, dompnus Antonellus de Danesiis et Robertus Agathus, testes... de affata civitate,... notum facimus... quod cum... in platea puplica dicte civitatis... moraremur,... comparuit... Iohannes Maria domini Goffridi de Noha de affata civitate Mathere, tam pro se quam nomine et pro parte Donati Loysii eius fratris, filiorum... quondam... domne Licie quondam Eustasii de Nucio de affata civitate, et... asseruit ad eius aures fuisse deventum me prefatum notarium... ex regia auctoritate de contractibus et testamentis notariorum premortuorum, de quibus... non fuerunt exinde instrumenta assumpta, posse illos et illa ab eorum prothocollis extrahere et instrumenta puplica conficere. Et quia in prothocollo quondam notarii Eustasii de Danesiis... asseruit habere quoddam testamentum factum per prefatam domnam Liciam,... ex quo instrumentum per eundem notarium Eustasium assumptum in puplicam formam non extiterat, requisivit... nos... ut ad domum habitationis Margarite, uxoris quondam dicti notarii Eustasii... tamquam conservatricis dictorum prothocollorum,... contulere

deberemus et illa diligenter inquirere et dictum testamentum invenire et illud inde assumere et ex eo puplicum instrumentum... conficere deberemus. Nos itaque... ad domum dicte Margarite... accessimus et... invenimus subscriptum testamentum... tenoris... subsequentis, videlicet: *Testamentum dompne Licie, uxoris domini Goffridi de Noha de Mathera*. [*qui segue il documento n. 45*]... Et volens ego... notarius... me certiolem facere de fama, opinione ××× [dicti quondam notarii Eustasii] ac de notitia dictorum prothocollorum, actum predictum iudicem et infrascriptos testes cum iuramento examinavi; qui omnes ××× approbaverunt, laudaverunt bone fame, opinionis et honeste vite fuisse et quod dictum testamentum... est scriptum proprie manus dicti quondam [notarii Eustasii] plene noscere dixerunt. Qua propter predictum testamentum... copiavi et in meo prothocollo reddigi et... puplicum... confeci instrumentum...

† Ego Nicolaus Venusius de Matera regia auctoritate per totum regnum Sicilie ad contractus iudex, cum potestate me subscribendi in instrumentis contractuum iudicum mortuorum constituto mihi ex testimonio et approbatione et fide digna supradicti notarii Eustasii de Danesiis fidelis notarii ac visis et expectis notis et prothocollis dicti testamenti, non quod fateor me pro iudice intervenisse in celebratione presentis testamenti, set vigore et auctoritate dictarum licterarum regiarum mihi concessarum requisitus et subrogatus loco et vice supradicti Loysii qui supra iudicis premortui ac etiam in reassumptione predicti instrumenti pro iudice requisito interfui, ideo me pro iudice subscripsi † Ego dompnus Andreas Gallus qui supra in premissis gestis interfui et

me subscripsi † Ego Donatus de Ciminello qui supra in premissis gestis interfui et me subscripsi † Ego Robertus Agathus qui supra in secundis gestis interfui et me subscripsi † Ego d. Barnaba Blasii de Leone qui supra in secundis gestis interfui et me subscripsi † Ego Petrus Andree de Tremamundo qui supra in secundis gestis interfui ××× † Ego Gaspar Donati notarii Eustasii in primis gestis qui supra interfui ××× † Ego ××× qui supra in primis gestis interfui et me subscripsi † Ego Tucius Stefani de Matera qui supra in primis ××× † Ego d. Antonellus de Danesiis qui supra in secundis gestis interfui et me subscripsi